Coram omnibus quod cum uxore procedere non valens invitus quasi vim passus reversus sit. Requisitus de uxore, ubi esset ostendit, que ab ancillis adducta et ipsa peccatum ingratitudinis sue confitens dicebat, quod procedere non posset posset sine infante. Et cum judicarent astantes, merito illam defraudari debere pallio et calceis et aliis eis donata ob vicium ingratitudinis, respondit Elyzabeth: Facite quod vobis visum fuerit justum. Et ablatum est mulieri ingrate pallium et virgini devote cuidam datum. Que mox castitatem domino vovit et quia illi in habitu religioso servire vellet promisit. Calcei vero cuidam vidue dati sunt. Beate Elyzabeth, quia tota visceribus misericordie affluebat, jam dicte paupercule compaciens et malum in bono vincens jussit ei dari pelles et calcios alios. Que recepto puero quem male dimiserat, recessit.

(Cap. XXVII.)

Irmingardis cujus superius mencionem fecimus, testatur se audivisse ab ore beate Elyzabeth et hoc: Vita, inquit, in hoc seculo despectissima est. Et si esset aliqua vita despectior, illam elegissem. Fecissem quidem aliquid episcoporum et abbatum qui possessiones habent obedientia-